

3

MIRACULUM MUNDI,
Sive
PLENA PERFECTAQUE
descriptio admirabilis Naturæ,
ac Proprietatis potentissimi
SUBJECTI,
Ab antiquis
MENSTRUUM UNIVERSALE
Sive

Mercurius Philosophorum
dicti:

Quo

Vegetabilia, Animalia & Mineralia facil-
lime in saluberrima Medicamenta, & imper-
fecta Metalla in permanentia ac perfecta
transmutari possunt.

In gratiam secretæ Naturæ Scrutatorum
editum,

2

JOHANN E RUDOLPH O GLAUBER O;
atque ex Germanico Latinum factum.

Cum S. Cæs. Majest. Privilegio.



Impressum AMSTERDAMI;
Apud JOANNEM JANSSONIUM,
M. D. C. L. I. I.

P R A E F A T I O

Ad

L E C T O R E M.



*Vicunque hic de incomparabilis
Subjecti, ab antiquis Philosophis
Solvens sive Menstruum Uni-
versale dicti, Proprietate, natura
& essentia agens libellus occurrit,
& summarum ipsi à me adscriptarum virtu-
tum lectione offenditur, ideoque quia captiu-
rem non assequitur, fidem derogandam censet,
ei notum esse volo, quicquid ei virium tribui-
tur, illud nequaquam figmentum, somnium
vanamque esse opinionem, sed diligenti pluri-
maque praxi inventam veritatem habendam.
Quin vero nonnulli sint futuri qui hæc in du-
biūm vocantes meras impossibilitates judica-
bunt, facilime conjicio, qui perspectissimum
habeo, quanta mysteriorum Naturæ ignoran-*

A 2

tiā

tiā præsens mundus, proh dolor, laboret, certus
hoc scriptum non omnibus arrisurum: illis qui
in Naturæ cognitione aliquousque pervenere,
nimis clarum & apertum, imperitis vero, nu-
dis tantum opinionibus refertis, Cimmeria
tenebræ judicabitur, altero plus, altero minus
& quo factitatum esse credente: verum hoc so-
latio est, quod nondum natum esse sciam, qui
omnibus placuerit, vel placere potuerit; præ-
mium quod miser mundus præripere non va-
let, spretis, instar innocuae procellæ, hujusmo-
di incertis judiciis, in futurum exspecto. Qui
omnia Cavillatorum ora obthurare velit, ei,
honos sit auribus, multum merda sit opor-
tet, ut vulgus ait: nec aliam quam ingra-
titudinis mercedem pravus mundus sinceris ho-
minibus unquam retribuit. Nonne Christum
Salvatorem ipsam Virtutem & Veritatem
cum suis Apóstolis, Sectatoribusque persecu-
tione tandemque morte affixerunt? quem si
plurimi seculi nostri scribæ etiamnum penes
se haberent, nova internecione tollere haud
erubescerent, cuius multifaria D E I vir-
tute edita miracula vel impossibilia vel dia-
bolica traducerent, ipsum confessim ad ignem
abrepturi. Hæc stupenda malorum ingrati-
tudo

tudo causa est , cur multa humano generi alias proficia bona in tenebris delilescent . Quam primum enim aliquis creditum sibi talentum juxta C H R I S T I mandatum non defodere , sed in proximi commodum fenori dare contendit , extemplo viperina Phariseorum progenies proximi emolumento semper invida ; veritatem oppugnat , ut vel optimus quisque eorum ludibria non effugiat . Num plus lucri erit , si omnia tua inventa mundo prostitueris , quam si celaveris ? Hanc ob causam plura impreseñiarum non agam , saltem que miracula hoc Universali menstruo patrentur , indigitabo : integrum cuique erit , fidem quantam libuerit , dictis adhibere , mea nil intererit , si vel à nemine credantur , mihi satis fuerit , ubi & qua ratione Veritas sive Naturæ Secreta invenienda sint , ostendisse .

Quod ad Subjectum attinet , cuius Naturam & Operationes delibare constitui , hoc isti est simile , cuius in Opere Minerali mentionem feci , Alkahesti nomine insigne , quam appellationem non absque ratione ei impositam ibidem demonstravi . Cum ergo jam dudum

optima quorundam Philosophorum Menstrua eodem nomine inclarerint, mihi vero non constet, an illorum meo, meumve illorum viribus ac natura simile fuerit, non valde discrucior: parum enim refert, diversa Menstrua eodem nomine gaudere, etiam si sibi per omnia non respondeant.

Nam quemadmodum vinum est vinum, licet in Germania, Italia, Gallia, Hispania uero provenerit, singula tamen vinum sunt, ut ut alterum alteri viribus ac sapore praecelet, modo natura viresque, quae vino inesse debent, in eo deprehendantur. Idem de meo Alkahesto judicium esto: Scilicet, quod, si vires nomini sint congruae, ex quocunque demum Subjecto sit extractum, jure merito eodem quoque nomine nuncupabitur. Quod ut melius assequare, Alkahesti nomine intellico calidissimam, igneam, siccam simulac humidam aquam, corrosiva virtute vacuam, qua Vegetabilia, Animalia, Mineralia, non tamen omnia eodem modo, absque strepitu soluta in saluberrima medicamenta, ut parte I. Operis Mineralis innui, elaborantur. Quia vero ex quo ista scripsi, multi tale Menstruum

struum ex suo quisque Subjecto preparare sunt conati, impostores etiam aquam plane corrodentem aliis pro eo porrexerunt, se hoc secretum à me adeptos esse mentientes, idem quod in Opere Minetal. descripsiferim, tum & alter alteri putatitum istud Solvens Universale care vendidit, cuius natales atque præparatio ipsum venditorem lateret, ut ita cæcus cæcum ducens in periculosa avia secum abduxerit, id cum mihi innotuerit, nolens volens lectori palam facere debui, quæ propriè sit natura Alkahesti mei, quæque ipsius vires, ut erranti sit norma, quæ de suo Alkahesto, num meum sit, dijudicare queat.

Ergo, hoc incomparabile Subjectum vocatur Solvens Universale, quia ejus beneficio multa incredibilia in præparatione bonorum pharmacorum, metallorumque præparatione præstantur: nemo tamen credit, quod instar fortis, regiae aliusve corrodentis aquæ sive menstrui metalla celeriter ac violenter solvat, minime gentium; sed alia prorsus ratione operatur, Vegetabilia nempe atque Animalia via humida in digestione sol-

vuntur, in qua solutione puriores partes ab impuris secernuntur.

Mineralia vero ac Metalla possunt & ipsa ipsius beneficio humida via soluta in bona Pharmaca redigi, vel in meliora metalla lavari, purgari & maturari, sed non eadem felicitate ac celeritate, atque via siccâ, quam quam plurimæ admirandæ inexpertis incredibiles mutationes, mox prolixius tractandæ perficiuntur. Præter hos 2. solvendi modos, quorum (ut rei possibilitatem monstrarem) nonnullis sciendi copiam feci, adhuc alias longe diversus occurrit, quo metalla aliaque Subjecta celeriter coram oculis meliorantur, atque in optima medicamenta & puriora corpora maturantur, depurantur, transmutantur: Cujus Solutionis rationes cuivis exponere non opus est, maximè, quia iste labor solerter chymicum requirit, paucique sunt, quibus Natura arcana scrutari cordi est, sed plurima chymicorum turba vanis processibus se divexus nil Solidi in Medicina & Chymia intelligit, qui imaginarii artifices, ubi in vera scripta incident, eorumque sensum obtusis suis cerebellis non assequuntur, Autoris,

ctoris, maledictis lacerati, industriam, ac indefessum in communicando suo talento præstum laborem dedianuntur, unde fit, ut qui aliquid boni profert, nil præter ingratitudinem expertus, talentum suum defodere, secumque sub tumulum deferre, quam in suum damnum propalare malit. Atque hæc unica est causa, cur hujus menstrui usum in præparandis medicamentis, metallisque meliorandis non sim verbotenus prosecutus, saltem quid ejus adminicula effici possit, indigitans, ut quid de eo judicandum sit, manifestum fiat, num quod ab aliis pro tali venditatur, isti in Op. Miner. descripto, & hic sub incudem revocato simile sit, nec ne: haud ambigo, quin multi sint animum desponti, animadverentes, suum Alkahest, ista quæ meo Menstruo hic adscribo, nullatenus præstare, simulque credituri, non esse rem tam facilem, atque antea putaverant, sed etiam si ex vili oriantur Subjecto, tamen ejus inventionem & usum longe difficillimum existere. Quicunque enim tale menstruum habet, quo hæc sequentia parantur, ille se Solvens Universale, vel Mercurium Philosophorum, apertum ad veram Medicinam & Alchymiam ostium,

A S revera

10 P RÆF. A D L E C T O R E M.

revera possidere gaudebit. Ideo in scrutatorum gratiam nonnihil virtutum viriumque ejus, quantum par est, ut magnalia D E I inde patefiant, & homo Creatori, omnis boni datori laudandi & gratias agendi materiam nanciscatur, recensere exordiar.



D E

DE INGENTI VIR-
TUTE VIRIBUS QUE,
nec non admirandi hujus Menstrui
universalis natura & pro-
prietate.

 Res præcipuè operationes hujus
beneficio præstari posse operæ
pretium est cognoscere.

Primò omnia Vegetab. & Animalia in
liquorem soluta maturat, venenoque sub-
lato in salutaria medicamenta convertit.

2. Mineralia atque Metalla tam humi-
da quam sicca viâ solvit, venena crudita-
temque corrigit, maturat & figit, ut bonæ
fiant medicinæ, & post fixationem bonum
ac genuinum ☽ & ☾ exhibeant..

3. Eadem Met. Miner. Lapidès, aliaque
compacta, 2. prædictis modis non solubi-
lia subiecta solvit, maturat, purificat, ho-
ræque spacio metalla plus exaltat, quam
priores 2. Solutiones toto die non value-
rant, quorum in melius mutationem in
singulas horas observare licet: solvit Me-
talla ac Miner. in penetrantem Spirituali-
tatem, ut Metallum, à menstruo non secer-
natur,

natur, sed ex utroque humida juxta ac siccata solutio fiat, ex qua purior metalli pars, sive illa ☽ sit, sive ☿ (præsertim si plura junctim fuerint soluta) post præmissam fixationem arte præcipitatur: unde satis liquet, in omnibus imperfectis met. bonum ☽ & ☿. vulgari cupellarum examine non notabile abscondi: quæ Operatio, menstruo tantum grosso modo præparato absolvitur: quod si hic hermaphroditus volatilis ac Spiritualis Mercurius rursus fixus ac corporeus evadat, credibile est, cum multis numeris subtiliorem, penetratiorem, efficacioremque ad solvenda, alteranda & perficienda corpora esse, atque antea fuerit.

Hic ejus usus est in genere: Speciatim vero multiplicem suam virtutem abunde exerit, ante cujus descriptionem non inconsultum videtur, quodnam sit communè hujus Subjecti nomen, quidque de eo vulgus sentiat, subindicare. Quod ut paucis expediam, nil est aliud, quam nudum Sal terræ, ex quo Sal petræ conficitur: verum, quod quodvis terræ Sal, vel vulgare Sal petræ harum sit virium, quas meo Subjecto hic assigno, nullus dixero, cum sua cuique

cuique usui debeatur ejusdem præparatio, juxta quam diversas virtutes exspectabis. Verbo: Hoc Subjectum, cunctis universæ terræ incolis, singulisque Ordinibus, notissimum esse convenit, quippe quod non modo homini, sed omni insuper Creaturæ pro varia ejus applicatione, commodare vel nocere aptum natum est. Prætermisso ergo Superioribus Magistratibus, quid cuivis Ordini, boni malive inde oriatur, vel quid eum commonefaciat, facto à Spiritualibus, quos vocant, qui omnino tales esse debebant, initio aperiani.

Nemo, qui vel per transennam res humanas inspicit, ignorat, quam indesinenter omnes omnium religionum theologi de pulpite suis auditoribus inculcent, ut tales sint, in fide ac vita, quales se, cum subito de hoc mundo ad ultimum judicium atque severum tribunal sint abripiendi, fuisse optaverint: id quod rectissime fit, neque toties dicitur, quin, ut frequenter & dicatur, & re ipsa observetur, necessarium est & utile. Quotus vero quisque, exceptis paucis; harum rerum satagit? sane, ipsa experientia teste, nec qui dicit, nec qui audit. Cum Christi ad judicandum mun-

mundum, adventus, ex improviso, cum omnes imparatissimi erunt, instar fulguris fulminisve Superiorum Elementorum, vel furis nocturni instar, continget, (id quod nemo ibit inficias) temporis illius fulgetra ac tonitrua nulla cum re aptius quam cum hujus Subjecti vi ac potentia conferri atque adumbrari possunt. Homo enim si lethifera tormentarii pulveris compositio ex eo prius confecta est, (de qua 2. Furnorum parte actum) quam meritò omnes metuere, coque semper ad mortem parati esse debebant, eo mediante oculi ictu, è medio tollitur. Quæ admonitio si non sedulo fiat, futurum damnum plerisque animalium pastoribus, hoc sibi divinitus injunctione munus turpiter negligentibus, imputandum erit: Nam Deus nihil frustra ac sine causa condidit: & quemadmodum serenus dies, jucundissimaque atque vivifica Solis lux, æternam lucem vitamque: cæca, frigida, horrenda, lethalis nox, extremas tenebras, damnationem, mordentem vermem, æternam mortem & cruciatum impiorum; ita & terrenum fulgur, fulmenque Salis petræ celerrimum ac subitancum Christi adventum nobis ad vivum depin-

depingit; quod ut Ecclesiastici suæ fidei commissis animabus exponentes, à perditis viis eas revocent, hic notandum offensens, nullius sinistram interpretationem mihi, qui hoc publici boni gratia scripserim, ob id in meam perniciem cessuram confido.

Juris periti hoc terribile Subjectum spectantes, perpendant, si quando Principibus sui lucri causa, sint bellorum autores, quibus urbes evertuntur, agri vastantur, cives in exilium aguntur; vel jus fasque ex gratia pro suo lubitu pervertunt, iustum condemnant, malo patrocinantur, perpendant, inquam, alium Judicem, qui nec largitionibus corruptitur, nec personam respicit, inexpectato adventu suo omnium facta examinaturum, justissimamque pro sua æquitate sententiam laturum esse.

Medicis, Chyrurgis, Pharmacopæis hoc Subjectum, ex quo, vel per quod summa contra naturales hominum morbos medicamina parantur, infervit: unde vulgaris illius Philosophorum dicti veritas indubitanter afferitur: quod scilicet ex summo veneno, summa contra morbos medicina sit

fit paranda. Nitrūm autem deteritum esse venenum, 2. Furnorum Parte evici, ubi illud ipsi Basilisco præferebam: & quod ex eodem Nitro, eoque mediante, optima Medicina sit præparanda, hic probatum eo. Prima Operis Mineralis parte, quo pacto, mediante Alkahesto, & Vegetab. Anim. Metallisque multifaria, aliisque multis parasangis anteponenda medicamenta sint præparanda, in gratiam Medicorum, Chirurgorum, aliorumque Medicinæ operam dantium vulgavi.

Multa vero de Medicinis impræsentiarum differere animus non est, sufficerit, quarum sit virium, quibusque usibus hoc universale Menstruum destinetur, commonstrasse. Diximus, illud omni Ordini, superiori juxta atque inferiori, Spirituali ac Seculari, Nobili, ignobili, diviti pauperique prodesse posse: quorum Medicus ordo haud sane postremus est censendus. Nam si rem æqua lance trutines, immortalis anima homini ante omnia est curanda, post illam, Corpus ac naturalis vita, ipsi post animæ salutem charissima: tandem bona ac facultates, instar accidentis cuiuspiam, quæ uti in mundum non attulit,

ita

ita nec secum ex mundo deferet, sed tanquam viliorem partem mundo relinquet. Sanitatem ergo cunctis mundi opibus longe præcellere, cum sit notissimum, quo pacto hujus menstrui beneficio conservetur, & amissa reciperetur, ut primo loco deceatur, altero, qua ratione honestus vietus per illud sit habendus, ipsa ratio flagitat. Si quis enī cornu-copiam habeat divitiarum, morbis doloribusque obsitus, cui usui erunt bona, quibus absque fano corpore frui non detur?

Quocirca prima Animæ, proximæ corporis saluti, tertia demum cura externis bonis naturæ lege debetur. Cum homo veram in Deum fidem habet, cum pacata erga proximum conscientia, tunc demum bonis caducis, hilari animo, temperanter & cum gratiarum actione ad Dei gloriam frui licebit. Corporis sanitatem, honestumque viatum ex præfato Subjecto sufficienter peti posse, monstrare aggredior, animæ verò felicitatem viris ad hoc à Deo destinatis committo, quibus pro aniniabus suæ curæ creditis, sed incuriâ malitiâve neglectis, in avia abreptis, æternoq; exitio perditis, satis exacta ratio olim erit reddenda.

B

Huic

Huic promisso ut satisfaciam, quæ inaudita istius Subiecti beneficio in Medicinâ edi possint, revelare auspicor, proximâ, post Deum, in naturalibus morbis, homini omni miseriarum genere obnoxio, solatii ac salutis tabulâ.

Morborum enim vestigantes originem, non invenimus aliam præter Peccatum, quod protoplastæ nostri sua transgressione nobis hæreditarium fecere, omnipotenti vero sit laus, quod mediatorem est gratificatus Jesum Christum, qui suo ad Crucis usque mortem obsequio cœlesti Patri nos reconciliavit, primorum parentum inobedientiam expiavit, ex morte liberavit, viam ad vitam patefecit: nihilominus tamen maledictio incumbit nobis, ut omnes summis doloribus in lucem editi, perenni curarum æruminarumque tempestate adolescentes, molestiis fracti, ac deficientes, ad extremum terribili morte, contra cuius vim nullum in hortis medicamen est, abripiamur. Sed quia, quicquid vitae usurâ gaudet, mortem quantum ac quamdiu potest, declinat, morbusque ejus prodromus & est & habetur vulgo, mirum non est, si eam pro virili, quoad Deus permittit, tantisper

tisper vitemus & arceamus. Omnis Creatura in terra, aqua, super terra, & in aëre, ad minimum usque vermiculum, quamdiu valet, à morte se tuetur, quin qua ratione illa ad præfixum usque vitæ terminum sit cavenda, ipse Deus animantibus insculpsit, & si fortè una ab alia casu studiove lædatur, quid sibi sit levamini, cuius ope, si modo ejus copia detur, nec ab eo excludatur, illatum damnum reficiat, paternæ est largitus: Solus homo hoc naturā nescit, sed indefesso studio id addiscere necesse habet, unde nullum animalium pluribus morbis miseriisque subjacet, quam homo, quod totum peccato acceptum est ferendum.

Qui miseriarum, cruciatuum, morborumque fons cum solum peccatum sit, objicit nonnemo, dicens: Quid medicina opus erit, si peccato remoto, ipse morbus evanescit: atqui facilius erit peccato nuntium mittere, quam tot ingrata decocta absorbere. Is responsum habeat: Verum esse quod Deo nihil non sit possibile, nosque si fides in Deum sit firma, sine Pharmacis à morbis præservari ac liberari posse: sed talem fidem ubi reperies, quæ

etiam Christi temporibus erat rarissima, cum inquit, Si fides sit vobis, quantum est sinapis granum, montes loco movebitis: nos verò nec arenæ atomum movemus, unde nos omni ferè fide ac fiducia in Deum carere satis liquet.

Non defunt testimonia, quod homines ex indubitante erga Deum fide naturæ leges transcendentia miracula ediderint: Si fides istorum 3. in fornace candente non fuisset maxima, ex igne intacti non prodiiissent: hujusmodi fidei etiam Moses, David, Daniel, Apostoli, aliquique Sancti ad patranda miracula, fuere participes: neque hoc à vero abludit, quod, si quis ex nostra tam perversa generatione firmissimam, non vacillantem, sed fiducia plenam fidem habeat, ille non minus quam prisci similia facinora sit editurus: penes quem autem ista fides erit? Hanc ob causam naturalibus mediis, quæ etiam absque hominis fide operentur, nobis contentis esse convenient; cuiusmodi Medium naturale est Medicina, morborum, etiam absque fide, medicatrix: quod si naturalia remedia fidem habeant conjunctam, hoc major successus erit, ita ut jure sit dicendum *Ora & Labora,*

Labora, non *Cura* atque *Plora*. Quod in hunc finem dicitur, ut exploratum reddam, Fidem etiam absque Medicina, quod Christianum est, & hanc absque illa, quod pecuinum est, sanare. Væ verò illi, qui medicina, pecudis instar utitur, eique energiam, non soli Deo fert acceptam. Hinc me dicinam vilem plus apud fidelem, quam apud incredulum nobilissimam præstare affero, eandemque medicinam in eodem morbo discrepanter operari, cuius causa tum ægrum, tum medicum sæpenumero fugiat. Complures, soli medicinæ nixi, pretiosissimis quibusvis inhiant, ut plurimum ipsos fallentibus. Opulent magnam unionum, gemmarum, lapidis Bezoar, auræ lævigati, similiumque mortuarum rerum vim deglutiunt, unde facilius à morte infestantur, quam si ignobilem herbam assumpsissent, solummodo hanc ob causam, quia auxilium à pretioso pharmaco, non à Deo exspectarunt. Hæc vérò mea, quam trado, Medicina, magni pretii non est, & insuper maximarum virium, cuius tam pauper quam dives compos fieri, & ab omni curabili morbo, Dei gratia adspirante, liberari poterit.

PRÆPARATIO.

R. 2. vel 3. libras hujus Menstrui, cuius rodentem naturam ignis vi in non corrodentem transmuta, & habes Menstruum præparatum, quo hanc Medicinam elaborabis, nempe, in hoc menstruo tantam Primi Entis auri, quod passim in mundo, sed præcipue in aurifodinis copiose reperitur, solve, quantum in calore attrahit, ut fiat solutio rubea, quam cum suo vini solventis pondere aliquot dies digere, fiet separatio partium puriorum ab impuris, fecibus à medicina ad fundum secedentibus ac removendis, hæc leni calore concentrata rubeus pellucidus erit lapis, solubili sali simillimus, probè servandus. Medicina erit nulli præterquam Philosoph. Lapidi secunda, post centum annos ejusdem cum primo confectionis die bonitatis, omnia quæ recenseo cum stupore peragens, pro qua dignas Deo gratias nemo mortalium unquam persolverit.

U S U S

USUS HUJUS MEDICI- NÆ IN GENERE.

HÆc universalis Medicina omnem morbum naturalem, tam recens natorum, decrepitorumque, quam robustorum citra omne periculum curabit dosi valde exigua, nulli naufragi pariente, ut vulgares cyathi solent, sed ab 1. ad 8. usque grana, quod summum sit, quolibet liquore, jure calente, vino, zytho, aqua, lacte, pro ægri conditione propinanda. Vires, prout vel ægri, vel morbi natura diversum postulat diversimode edit: si intra præscriptos doseos cancellos subsistas, operatio erit insensibilis, roborat, mundificatque humidum primigenium, omne malum modo plane mirabili è corpore foras agit, singulis, alternis, tertiisve diebus assumta: morborum accidentalium præservatoriū, veneni, aërisque infecti obstaculum & correctorium. Sin major fuerit dosis, evidenter, erit operatio, per sudorem, urinam, sputum, interdum & *αὐτῷ καὶ κάτῳ* protulubitu, dosin augendo vel minuendo, si & morbi indolcs illud ferat, qui pluri-

mus minimo hujus medicaminis pondere, sine oculari observatione curatur, sed radicatus notabilem operationem exigit, si minori, invisibiliter agenti dosi, parere recuset: quod hanc medicinam præparanti & utenti probè tenendum, ne in excessu vel defectu peccet, sed medium servando cum præmio laudis palmiam auferat.

Sed quo minus aberres, usum ejus, in gravissimis morbis mihi probatum, pluribus circumstantis docebo.

In *Pestē*, aliisque contagiosis febribus homo Dei gratia præservatur, si grani dimidium, infanti, puerove; mediæ ætati integrum; adultis vegetisque 2. vel 3. administrantur; quod si contagio sit corruptus, dosis pro ratione ætatis sit dupla vel tripla, æger diligenter apertus liberaliter sudet; morbo nondum expulso, postero, vel tertio die dosin repetat, vel donec perfecte fuerit restitutus.

Hic præservandi curandique modus non modo in Pestē, sed & omnibus contagiosis, frigore, vel æstu infestantibus morbis, cunctisque febribus, observatus, pluribus Pharmacis non eget, hoc unico cum ardentibus ad Deum precibus ad propulsandum

sandum deterrium Pestis malum, laterum compunctionem, aliasque vulgares febres, cum bono Deo sufficiente.

In *Epilepsia* qua modo geniti, auxilii inopes catervatim extinguitur, hæc Panacæa certissimum est remediū, si mox à partu quarta vel media grani pars cum laetè vel recenti, Salis experte butyro exhibeat, tertio die dimidium granum, octavo die tantundem, & liberatus erit: sin post intervallum paroxysmus redcat, parum aucta dosis tantisper repetatur, donec cesseret. Matresfamilias hanc medicinam sibi commendatissimam habent, quibus liberi, cætera incolumes, hoc solo malo miseri eripiuntur, magno medicorum quorundam errore, isti ætatulæ plenos inefficacis aquæ perlarum cyathos, lapides bezoar cum aqua vel pulvere pœniæ, aliisque ineptis rebus infudentium.

Adulti ab uno ad 6 grana quotidie assument, si curæ vacare possunt, sin minus 3. quarto die semel, usque dum nulla morbi vestigia supersint: nihil præter hanc medicinam sumentes, eo die à frigido aëre, tresque vel 4. horas à cibo abstineant.

In *Lepra*, similique fæda scabie tutius hæc medicinâ remedium non datur absque mo-

lestia radices mali extirpans: nec unquam optato frustrabere effectu si modo æger viribus pollens curationem feras.

In abominabili, *Gallorum* nomine infami *Scortatorum morbo*, certius nihil invenies, modo dosis cò excrescat, ut non tantum plurimum sudorem, sed & vomitum cum sedibus cieat, alternis diebus sumta, donec æger, quod una alterave hebdomade fiet, convalescat.

In *Hydrope* æger quotidie unâ dosi utatur, (subsequente aliquot horarum jejunio, ut in aliis morbis fieri consuevit,) non vero magna, sed ab uno grano ascendendo, donec medicina non vomitum, sed nauseam causetur, quo signo, quanta ægro dosis conducat, conjicitur: postea detur unum vel etiam 2. grana minus, donec omni aquâ per sudores, sedes, urinas evacuatâ, æger pristinæ sanitati sit restitutus. Hæc sola *Panacea*, si morbus non omnino deploratus sit, ægro citissime ac felicissime haud dubie salutem reddet.

In *Podagra*, cum *Lepra* & *Hydropisi*, apud medicorum vulgus incurabili, hæc universalis medicina mirabilia, breve tempore plura præstat, quam credideris, si rem

rem prudenter geras: humorum affluxum citò retractum, insensibiliter ex corpore exturbat, doloribus sensim remittentibus, tumore sidente, paroxysmus tolerabilius fit, serius redit, - ad extremum emanet. Doseos eadem sit ratio, atque in Hydrope præscripsi, ab uno grano ad usque nauseam ascendendo, tunc, detracto uno altero ve grano, dosis quotidie vacuo ventriculo, aëre frigido excluso, 4. horarum jejunio continetur, donec eâ non amplius opus esse animadvertes. Si quis vero dictis meis, quod scil. hic morbus, omniū propemodum judicio immedicabilis, huic remedio manus sit daturus, fidem derogabit, ei nullatenus succensebo, qui & ipse, paucis abhinc annis, antequam hujus medicinæ vires perspectas haberem, idem sentiebam, sed experienciâ doctior redditus, aliter sentire debui, hunc morbum, nisi ad *άκρην* pervenerit, vel ægri imbecillitas medicandi tedium respuat, vel Deus alias ob causas non contra eat, bono medicamento, si non radicitus, saltem maximam partem curari posse affirmans. Putet aliquis perinde facere ad curationem, si hac medicina utens, quotidie variis, vetitis noxiis que cibis sese ingurgitet, vinoque inebrat:

briet: is insigniter fallitur, cui vel Phil. lapis non medebitur: quod enim pharmacum ante meridiem corriget, illud alimoniae excessus, frequentissima hujus mali causa, post meridiem perditum ibit. Sunt, qui vini abstinentia liberationem ab hac peste temporis tractu sibi pollicentur, sed hircum mulgent, cum non solus vini potus hujus mali radix sit & fomes, quo & ob pauperiem abstemii nonnunquam corripiuntur: omnis in vino cerevisiaque excessus ansam praebere, morboque incrementum dare potest, sed non solus producere: plures dantur causae hujus mali genitrices, quas inter haud postrema est Ira, si ei saepe primas deferas; nec immodata Venus, individua hujus mali comes, minima censebitur, quia Natura plurimum enervata praecedentis in alimentis sumendis exorbitantiae reliquias oeconomia corporis ejicere non vallet, sed vel invita illis difficultorum morborum futuris causis in corpore pro arbitrio debacchantibus locum dare adigitur: ubi enim natura infirmissima est, ibi hostis irruptionem facere conatur omnia internecioni daturus, & ut proverbium fert, ubi sepes est humillima, ibi omnes transcedunt,

dunt, id quod ut plurimum in hujus morbi generatione contingit. Cum corpus immoderato vietū maxime obrutū, nimio vi- ni vi irritato concubitu gravissime labefactatur, natura non valet istas reliquias excludere, sed in summum totius corporis detrimentum, ut sibi pro lubitu sedem figant, permittere cogitur. Cunctis insuper Lienis, Hepatisque obstructionibus, (unde sanguine corrupto gravissimi morbi, Scorbatus, puta, Podagra vaga, Erysipelas, diuturni capitis dolores, artuum languor, anima fætens, in Mulieribus, uteri adscensus, menstruorum retentio, cordis palpitatione, deliquium, vertigo, aliquie id genus ignoti morbi, uberrima segete pullulant,) hæc catholica, præ omnibus aliis, felicissimè meditatur, si pro ægri morbique habitu plus minusve per hebdomadem sumatur, mirandos effectus conspicies.

Hanc quoque medicinam Chyrurgiæ studiosis, ut palmariam commendatam esse volo, qua meliorem non habebunt pro omni recenti vulnere carni inficto, sine potionibus vulnerariis, vel variè mistorum emplastrorum impositione curando, si quotidie parva dosi intus sumatur: hæc enim

enim omnibus symptomatibus resistit, & sola ex ipso fundamento sanat ac consolidat; sed si ossium fractura adsit, ista suo loco reposita, assulis bene colligentur: si vulnus ex punctione sit profundum, turundæ insimitantur, præter quas extrinsecus nil opus est, quam vulnus suo lotio, muriave mundatum, eadem humectato linteamine obligatum ab irruente aëre frigidio munire.

Si vulnus sit magnum cum periculo conjunctum, vulnerario unctum balsamo emplastroque ex floribus Mineralium, oleo ceræ & terebinthina facto (quorum componendi modos in prioribus scriptis tradidi) præterea obligetur, nec alia re, propter hanc medicinam intus assumtam, opus erit.

In putridis ulceribus hæc ipsa mirabilia præstat, si balsamo vulnerario munda servata, vulgari ex terebinthina ceraque facto emplastro ab aëre præserventur, internam mali radicem absque ullo alio adminiculo perfectè tollit.

Hæc insuper non minima ejus virtus est, quod per eam Metalla & Mineralia levi opera in summam redigantur subtilitatem,

tem, quæ non tantum intrinsecus adhibita desperatissimis morbis præsens levamen afferunt, (ut Parte 2. furnorum , in Spirit. volatilib. videre est) sed, quia ejus præparatio nec operosa nec sumtuosa est, extrinsecus multum conferet, nempe debito pondere communi aquæ calenti mista, ipsi thermis potentius in gravibus morbis operatur, naturales enim , à mineralibus sive spiritibus sive corporibus impregnatae thermæ tantarum virium esse non possunt, atque arte factæ, pro medici arbitrio, malique conditione debiliores vel potentiores redditæ.

Quia vero cuivis hoc universale pharmacum præparare non datur, plures tamen illud expetant, hoc mihi monere operæ pretium videtur, ut qui ejus præparacionem callet, id ex charitate aliis communiceat, non ut pro corrupto mundi more, inde ditescere velit, sed ut impensos sumtus, operæque mercedem tantum recipiat. Præterea cum hæc medicina tam in forma pulvris, quam liquore, si peregre sit mittenenda, non commodè à quovis usurpari possit, dum guttarum & granorum appensione facile erratur, non abs re fore judicavi, cam

eam in pilularum formam redigere, quo minus in administratione sit periculi, quarum singulæ unum granum pendant, ut æger pendendi labore supersedens, juxta morbi meumque præscriptum unam pluresve pro dosi recipiat.

Hoc pacto tutissime de loco in locum mittitur, ubique infirmis solamen datura, ne tamen in missione aliquid fraudis interveniat, unumquemque admonitum volo, ut videat, à quo eam petiturus sit, impostores enim se hanc habere mentituros, caraque venundaturos jam prævideo: cavendum enim ne similiter atque cum Alkahesto meo factum est, à talibus decipiatur.

Istæ sunt præcipuæ meæ medicinæ virtutes, cæteræ brevitatis ergo hic omissæ à prudenti lectore ex præmissis haud difficulter colliguntur: iterum obtestor; hæc omnia multoque plura quam scripsi, fideliter præparatam cauteque exhibitam medicinam præstare, imprimis si ardens ad Deum oratio accedat, quæ cum firma in Deum fiducia omni medicamento insigne robur addit, quod atheus nec credit nec audire gestit, sed cum damno olim dolebit.

Valet

Valet quidem medicina ægrum, Dei permisso, vel absque oratione restituere, panisque etiam absque gratiarum actione famem sedare, ut in brutis videre licet, verum hæc donorum Deus perceptio, belluina est, non humana. Christianorum est, in adversa valetudine Deus auxilium prius precibus sollicitare, quam ad medicinam transcas, & successus haud dubio erit optatissimus. Falleris, si promiscuè omnes etiam diuturnos ac radicatos morbos, hoc medicamine curatum iri speres, nam de istis tantum morbis hinc agimus, quibus per naturalia remedia obviam iri potest, Deusque ut currentur, permittit. Interna quorundam hominum viscera saepe numero à crassis humoribus ita sunt obsecra, & in tartarum mutata, ut impossibile sit vel optimis remediis ea primævæ sanitati reddere: nonnunquam pulmo & hepar ferè tota computruere prius, quā idoneo in loco auxiliū quæratur, & quis tum alia nova reponet, cum primaria corporis viscera semel consumta non, ut astacorum chelæ, araneorumque avulsi pedes recrescant? Deus etiam haud raro homini immitit morbum, quem curari nolit: hi omnes C sunt

sunt homini curatu impossibiles , D e u s autem cui omnia sunt possibilia , solus desperatis cum vult subvenire potens est : atque hi tantum sunt mihi immedicabiles , non Quartana , Lepra , Podagra , Epilepsia , Hydropisis , quos vulgus incurabiles clamat , sed experientia refragante . Et quamvis morbi , quotannis in pejus abeant , cum peccatis incrementum facientes , clementissimus tamen D e u s gnavis Scrutatoribus indies efficaciora medicamenta inspirat , quibus quod vulneravit curatum cupit . Inutiles digladiationes vanasque doctorum disputationes sublatas , earumque loco veram D e i cognitionem introductas esse optandum est , & mundum plane novum habebimus : per veram enim cognitionem D e i singularis homini lux illucescit , qua destituto cuncta obscura sunt , spissa caligine tecta , & Naturæ mysteria in occulto latent . Præcipua hominum cura , labos , studium impræsentiarum est , proximum odisse , spernere , oppugnare , imo maledicere dirisque devovere , quod fieri non debebat ; D e o , ut se invicem condemnent nolente sibi que vindictam reservante . Ubiunque amor proximi

mi exulat, nulla salus est speranda, quanto-
pere etiam propria opinio defendatur. Cui
usui arbos absque fructu ? multiloquio
ac subtili disceptatione D E u s non acqui-
escit, cor humile obsequens, mundum
unice qnærerit petitque, quod Spiritus san-
ctus inhabitet, in omnem nos ducturus ve-
ritatem : ubi hoc non invenit, istuc mini-
mè intrat, sed cor superbū rixosum, men-
dacionum parenti & tenebrarum principi
hæreditario jure possidendum permittit :
unde tot lites, turbæ, persecutions inter
perditissimi hujus mundi incolas nascun-
tur, genuina vero cognitio D E I ac Natu-
ræ (cujus pauca tantum vestigia restant)
perdita est, ut mundus potius erroneis opi-
nionibus quam solidâ scientiâ regatur, un-
de fit, ut propter multas vanitates, (qui-
bus eruditum cum maximo temporis dispen-
dio tantum non obruuntur) Natura cum
suis mysteriis magno hominum damno
neglecta jaceat.

Hoc in istum tantum finem dictum cu-
pio, quod nempe tantilla Naturæ cogni-
tio inter seculi nostri eruditos reperiatur,
quod malum D E u s aliquando in melius
convertat.

Post veræ medicinæ descriptionem usumque, quâ sanitas hominis conservatur, vel amissa restituitur, cunctis universi mundi thesauris longe præferenda:

Sequuntur jām alia Secreta, honestum homini viētum hujus subjecti beneficio acquirentia. Et quemadmodum in præfatione innui, hoc subjectum omnibus in universum hominibus Ordinibusque, Superiori & Inferiori, Ecclesiastico & Politico, nobili ac plebejo, opulento atque egeno (aliquid boni vel commonefaciendo vel suæ cujusque professioni conferendo) prodeſſe;

Ita nonnullos insignes ejus usus docere incipiam, ut omnibus pateat hoc Subjectum merito universale esse, quod ego semper tale judicavi, quodque alii mecum tale habebunt.

Principio, omnia Fossilia hoc Subjecto mediante perfectissime examinantur, quænam metalla propriè contineant, quot, quantumque de singulis: fossoribus, fusoribusque, ne rem suam profundant, infallibilis cynosura. Præcellens artificium, quo omnium mineralium valor citra multum laborem & impensas deprehenditur, metal-

metallurgis apprime necessarium, Germaniae præsertim, diuturno bello penitus exhaustæ, ad congerendas brevi spacio gazaras, necessitatis puncto contra patriæ hostes promendas: cuius beneficio jam etiam ditissimæ ☉ & ☽ fodinæ (alias in æternum neglectæ) dum celerimè & accuratissimè examinantur, sunt detectæ.

Pyritæ ☉ & ☽ (Gold vnd Silber / etc.) singulari, haētenus incognito compendio, hoc mediante fusi, longe plus metalli fundunt, quam modo vulgari.

Volatile & immaturi pyrites ☉ & ☽ trium horarum spacio figuntur, ut duplex metalli reddant, quam absque fixatione potuissent.

Hæc tria, omni Magistratui, in sua ditione fodinas habenti, maximè necessaria & utilia sunt, quibus multæ opes comparantur.

Omne ☉ & ☽ ex suo pyrite non pùre cliquatum, celeriter ab omni additamento purgatur, ☽ ab ☉ separatur, sola fusione, exiguo labore & sumtu, sed magno pondere.

A veteribus vasis stanneis suum ḥ, ☉ &

& & facile detrahitur, ipsum &, pondere paulo minori, melius quam antea erat, redditum, iisdem usibus, quibus vulgo destinatur inservit.

Ex Bismutho multum & sequestratur, bismuto servato, conveniens locis hoc minerali abundantibus secretum.

Ex veteri cupro multum & secernitur, cupro illæso, quo artificio regiones hujus metalli feraces sibi non parum profuerint.

Quodvis vulgare & paucarum horarum spacio in ☽ eam naturam exaltatur, quod si 4. vel pluries fiat, quod brevi temporis interstitio fit, tantum auri dat, ut impensis præponderans victum necessarium suppeditet.

Aurum ab omni additione ♀, &, ♂, ⚡, Orichalci, Antimonii, Arsenici similius ve, fusione separatur, & absque cupellis purificatur, singulis seorsim servatis, metallurgis similibusque utile, ex temporis brevitate, exiguis impensis ac labore multum lucri capturis.

Omne imperfectum met. absque aliorum metallorum confortio, solo hoc secreto igne horæ spacio maturatur, ut ☽ &

& \textcircled{D} tum in examine, sed absque lucro reddat; indicio, quod sequiora in perfectorum naturam arte promoteantur, magno metallurgorum commodo.

Metalla quoque in eodem Subiecto in formam vegetabilium coram oculis excrescunt, intervallo 2. triumve horarum digiti vel palmi altitudine in multos ramos & ramusculos panduntur, sine fructu quidem, sed demonstrationi ipsa etiam metalla in eo instar vegetabilium germinare.

Alia vero est perfectorum ex imperfectis crescentia & augmentatio lucrosa, vegetabilium germinationi respondens, quod quemadmodum omne semen terræ mandatum in ea germinat in herbam arboreum exurgens, sui incrementum insita vi attractrice ex eadem petit, similiter hic agitur, nempe \odot vel \textcircled{D} in Saturno, Jove, Venere vel Marte tanquam nativo solo ac humore germinat, crescit, ritu herbarum alitur, & de die in diem augescit. Ars Philosophis non spernenda.

Hoc mediante ex omnibus imperfectis met. & mineralibus, usitat \odot cupellarum examine nil habentibus, sincerum \odot & \textcircled{D}

multiplici modo producitur: argumento, quod imperfecta in recessu aliquid perfecti habeant reconditum, sese cum invertuntur conspiciendum præbens. Opus metallis operam dantibus non ingratum.

Hæc sunt præcipua, quæ hujus Subjecti adminiculo in metallicis fieri posse sum expertus, plura haud dubie me latent latebuntque, alii post me, bonum ex meis scriptis initium facienti revelanda, quod ei ex animo voveo, ut abscondita naturallium Dei miraculorum mysteria in usum generis humani tandem aliquando in lucem proferantur.

Ex modo enumeratis arcanis, quantumvis lectori vilia forte visis, sunt nonnulla, ex quibus commodus victus haberi potest, ut alterius mancipium esse non sit opus, ni voluerit. O quanta res est libertas, quam nemo digne æstimet, qui nunquam ipse servus fuerit: bucea panis cum quiete prudenti suavior est, quam cum cura, periculo & strepitu multæ lautitiæ. Bene illi cui cum Paracelso dicere licet, *Alterius non sit, qui suus esse potest.* Melius autem ei, qui concessa Dei dona bene collocat, proximi non oblitus,

ne

ne temporaria libertas eum in æternæ seruitutis barathrum præcipitet.

Postquam hoc Subjectum cunctis terræ civibus conducere ostendens solum ejus usum in metallicis descripsi, non omni homini indifferenter suscipiendis, sed illis tantum, quibus media ad colendas fodinas, metalla quoque liqua nda & separanda suppetunt, sive nobiles illi sint, sive plebeji, eruditii (tam spirituales, quam Seculares, à publicis muniis immunes) & rudes, qui ex mercatura, censuque victitant, similesque, quī omnes ex his secretis fructum capere possunt, non autem opifices, pastinatores, ruricolæ. Sed ut & his aliquid utilitatis ex meis inventis proveniat, ordine ostendam.

Principes erunt ingeniosi artifices, Sculptores, pictores, statuarii, ii qui vitra vel etiam vestes, serico, auro argenteo pingunt, ceramque in imagines effingunt.

Qui æs incidunt bonam ex eo parbunt aquam corrosivam, qua cupreis laminis, prius idoneo tectorio incrustatis icones rerum, quas voluerint, stylo exaratae facili negotio magnoque eorum com-

pendio eroduntur, alias longa temporis mora æri cœlo suo insculpendæ.

Pictores sibi inde pulcherrimos è longinquo, Italia puta, Hollandia, Gallia, magnis impensis alias petendos colores parabunt, ultra marimum, cœruleum, Smaltam, puniceum, laccam, venetum, cerussam, aliosque suis usibus necessarios.

Sculptores ac Statuarii instrumenta sua condurabant, aciem si lapides cœdendi sint, diutissime retinentia.

Phrygiones serico quemvis permanen-tem colorem induent.

Qui vitra depingunt, levi operâ quo-
vis vitreos colores sive amauſa inde pa-
rabunt, ut eos Venetiis petere opus non
fit.

Qui ceram effigiant, eandem impense
dealbabunt coloresque ejus beneficio in-
ducent.

Typographi item Subjectum atramen-
to suo addent, firmissime chartæ adhæſu-
ro, typosque eo expurgabunt.

Horologiariis convenient, si ex eo aqua
destilletur, ferrum chalybemve absque igne
ferruminans, si ei guttula istius aquæ for-
tis instilletur, unde ferrum excalens

exemplo colliquescit, ac si beneficio cupri in igne solidatum fuisset.

Omnis fabri limas cæteraque instrumenta ferrea eo durabunt, ac si ex durissimo chalybe concinnata essent.

Stannarii stannum eleganti candore ac duritie donabant, ut clangorem argenti similem referat, nec facile fodescat, & ob duritiem vulgari $\frac{1}{2}$ diutius perennet.

Scrinarii pyro, prano, cerafo, buxo, nuci, aliisque densioribus lignis summum nigrorem inducent, quibus loco Heberi Indici ad elegantia opera utantur.

Pelliones martinis, vulpinas, lupinas, similesque pelles puniceo, coccino, aterrimoque colore inficient, ut nativos colores longe excedant.

Plumarum itidem tintores quemvis constantem colorem plumis celerrimè conciliabunt.

Sartores laneis, lineis, sericisque vestibus maculas eximent, suumque splendorem reddent.

Sutoribus si vetera ferramenta huic subiecto imponantur, corium summo nigrore decorabit.

Textores

Textores fila linea tenerima reddent, ut sericum æmulcentur.

Tinctores pannis immutabili basin dabunt, ut superinducti colores à nullo viro, aceto, urina, muria, aëre vel sole corruptantur.

Figuli inde vitreum colorem bunt, Indico Porcellano non absimilem, ex quo fictile fiet, aspectu aureum, argenteum vel cupreum, Magnatum mensis singulare ornamentum, hactenus mundo incognitum.

Milites, mercatores, viatores, aurigæ, piscaiores aliquique sub dio victum quærentes, vernicem ex eo parabunt, cui linceos pan nos mergent, nec aéri nec pluviae transitum permittentes, quos ocreis, vestibusque ut in pluviis siccum iter faciant subducent.

Qui tapetes conficiunt, oleum suum lendum reddent impositorum colorum tenacissimum.

In Oeconomia Smegma veneto longe præstantius matresfamilias ex eo parabunt.

Ancillæ vasa metallina summe nitentia reddent.

Fœminæ flavum, pallidum, fuscum faciei

ciei manuumque colorem in lævissimam albedinem mutabunt.

Vetulæ rugas faciei manuumque, clavos etiam pedum levi opera tollent, linumque ad tantam mollitiem excoquent, ut serico parum concedat.

Hortulani omnia insecta tollent, si hoc Subiectum aquæ mistum locis ubi pullulant, affundatur, omnia morientur, vel foras ad necem erumpent, quia istum ignem sustinere non valent. Fructus etiam maturat, si incunte vere, parum hujus menstrui radicibus applicetur: & si pomorum copia obruuntur, permanens vinum, acetum, vi-

numque ardens ex iis parabunt.

Pistoribus fecis fermentique vices præstabit, si lupulum in eo solvant.

Cerevisiariis si lupulus eo sit extractus cerevisiam ferventem dabit.

Mulsariis acescentia mulsa, omnem etiam cerevisiam, vinumque Hispanicum acidum potabile reddet.

Pectinum, manubriorumque fabris cornua emollet, ut eis quævis imagines imprimantur.

Poliones polita armamenta ejus inunctione à ferrugine tuebuntur.

Aucu-

Aucupes optimum eo mediante gluten parabunt, frigore æstuque incorruptibile.

Militum præfecti ad terrefaciendas mulierculas ex ☽ pulverem fulminantem parabunt, cuius quantitas iñstar pisí super lamina accensa vehementius fulminat quam dimidia vel integra pulveris pyri libra. Potest idem etiam absque ☽ parari, solo additamento salis Tartari & Sulfuris ; parte 2. furnorum descriptus.

Tormentorum præfecti, & qui pulvi tormentario, ignibusque operam dant, multa mirabilia ejus ope præstabunt.

Possent & multa nova opera fabrilia, textoriaque inde parata vicinis communicari, quorum loco pecunia in exhaustam bello patriam inferretur.

Si vinitores de hoc Subiecto pauculum vitium radicibus affundant, uvas præcoces habebunt, mustumque præmaturum care divident.

Potest tamen Mustum, vinumque etiam absq[ue] hac arte alio modo in dolio maturari, ut callentibus artem semper bona sint vina, licet alii habeant austera. Secretum frigidis climatis austera vina fere semper proferentibus utilissimum.

Regionibus eriam viñiferacibus convenit, si caloris solaris defectu vinum maneat crudum, quod hac arte juvatur, ut facilem emtorem inveniat.

Sed quia major hominum pars, & impribus plebecula, res nunquam vias vel auditas persuaderi non potest, probe scio, si totam vini meliorandi rationem verbottenus describerem, quod mihi vix centesimus fidem sit habiturus, dicet potius, suos majores etiam prudentes fuisse homines, multasque opes ex vino collegisse absque hujus artis scientia, quam nec ipsi appetant: Si natura vinum non excoquat, sit austерum; aliquando tamen, si non à domino, certe à servo exhaustetur.

Hujusmodi homines incurabiles sunt, nec facile ut veteres canes domantur: junioribus vero curæ non est, quā prudenter rem suam administrent: hinc fit, ut omnia antiquum obtineant. Verum enimvero, ut Vinitor præsentem mundum priori periorem esse videat, unico exemplo ad oculum demonstrabo, quo quantum inter se discrepēnt, ipse perspiciat.

Majores nostri ex vini fecibus nil præter ardenter spiritum elquare neverunt, quo ex-

extracto reliquias abjecerunt , interdum pabulo pecudum miscuerunt , rarissime ad Solem arefactas in cineres clavellatos combusserunt.

Meo vero invento res eo rediit, ut longè major spiritus ardantis , mox etiam magna copia tartari , ac tum demum cineres isti inde sint extraëti , lucro triplicato. Quod si rem cautius tractes , ex culço fecum ad minimum 7. vel 8. urnas boni vini expimes , ex residuo suum vinum ardens tartarumque , ad extremum cineres clavellatos habebis , lucro quater aucto , quæ res majoribus nostris plane incognita fuit. Quot mille centenarii tartari quotannis in Franconia, Suevia, Alsatia, Palatinatu, ad Rhenum , Mosellum , Danubium abjiciuntur , patriæ utilissimi, si homines essent , qui artem tenerent. Sed quid attinet docere , si non sit qui discat audiatve: cōsultius enim est otium captare, quam aliis mutilam operam navare. Persuasus vero sum, post meam mortem nonnullos intellecturos , quam bene mundo voluerim , ex scriptis meis veritatē insigni suo commodo indagaturos esse : Omni rei sua est opportunitas , gemmæ in arboribus præcedunt ,

sc-

sequitur flos, ultimus fructus est.

Aliud ruriculis valde quæstuosum. Ex pomis, pirisque expressum mustum hujus Subiecti ope ad effervescentiam promovetur, ut vina inde fiant nativis sapore, durabilitate, viribusque parum inferiora: vel, si contusionis. pomorum tædet, bono compendio succus exurgetur in futurum vinum. Secretum regionibus ob frigoris dominium viña excoquere non valentibus, sed pomis ut plurimum abundantibus, necessarium, quo vini istic locorum nimis cari caritas commodissime pensatur.

Plures quidem artes vinarias habeo, sed hujus loei non sunt, qui tantum eas, quæ meo universali Menstruo administrantur, hic tractare decreverim, artes meo judicio niemini antehac notas, huc in medium productas, ut, quo usque mundus in bonarum rerum cognitione profecerit, lectori patetiat: sive res credatur, sive non, mea nihil refert, ipse etiam dubitatus, ni fuisset expertus: sed judicia non debent esse temeraria: sciendum est, D E U M mirabiliter dispensare sua bona iis, quos sibi servos ac instrumenta suorum in lucem pro-

D ferent.

ferendorum miraculorum eligere destinavit.

Si agricolæ semen hoc menstruo humectatum in agrum spargunt, citius maturescit, granis pinguioribus: Si emtores desiderent, quo pacto magnum ex suo frumento quæstum faciant ostendam. Integro, non commolito frumento calidam hoc menstruo imprægnatum affundant, in dolio bene clauso suum tempus seruat, aqua omnes vires extrahet, relictis siliquis in porcorum pabulum cessuris: si cum hoc extracto lupulus seruat, bona erit cerevisia; si hanc nolis, optimum Spiritum inde elicies, residuum brevi acetum erit: & si callidus es, hoc vinum ardens, multis usibus applicatum plus lucri reddet, quam si vendidisses. Secretum in frumenti vilitate non spernendum.

Adhuc unum habeo, de frumento, fructum arborumque fructibus addendum, præcipuum inter artes meas vinarias, ab humano genere tanquam insigne Dei donum, summa cum gratiarum actione acceptandum. Nempe, Industriâ, multiplique experientiâ compertum est, quod ex secali, tritico, avena, hordeo, oryza, milio:

lio: pomis item, piris, persicis, cerasis, prunis, prunis sylvestribus, damascenis; cydoniis, ficubus: uvis etiam ursinis, crispis, moris rubi, rubique idæi, berberibus, vacciniis, baccis sambucinis, similibusque terræ, fruticum, arborumque fructibus gratius salubris ac permanens potus, cuivis vi-
no sapore, odore, viribusque simillimus, exiguo labore sumtuque præparari possit. Pro qua largissima bonitate misericordi
D E O à frigidorum climatum, uyas nun-
quam videntium incolis dignæ gratiæ
nunquam agi possunt. Si vix centesimus
meis dictis fidem adhibeat, hoc me male
non habet, jam satis expertum perditorum
mali mundi morum, procaciumque in-
temperatas linguas suisque deque haben-
tem: satis mihi est, scripsisse quod res est,
meaque scripta necessitate urgente abunde
demonstrare posse.

Objiciat non nemo, quomodo hoc erit
possibile, cum mundus tot seculorum tra-
ctu tot sagacissimos viros produxerit, quo-
rum nec unus de hujusmodi inauditis re-
bus scripserit; haud dubie mera erunt
phantasmata. *Eg.* Non sunt somnia, sed
sæpius comprobata naturæ secreta. **Quid**

sibi talis objectator vult, qui ipse omnium rerum rudis omnes similiter idiotas esse sibi persuadet, qui florentis ætatis dies cantando, saltando, comedendo, potando, scortando, omnique vanitate in gratiam diaboli mundique transfigens, in provectione ætate nihil habet, quo ignominiam tegat, quam quod talia impossibilia esse gariat, qui nec vidit, nec unquam auribus percepit. O perversum & occæcatum mundum! si tanto Zelo Dei Creatoris tui gloriæ proximique amori litaffes, quanto tuis mundanis cupiditatibus, avaritiæ, superbiæ, usurpæ, invidiæ, gulæ, mendaciis, haud dubie scintillula lucis Dei naturæ illuxisset tibi, nec omnino in mundana caligine, carnisque vanitate mersus periisses. Nihil tam magnum bonumque, vel tam exiguum ac vile est, quin idem ante hac etiam fuerit, licet nobis, quo tempore extiterit, incognitum: nec impræsentiarum quicquam est, quod non cum tempore peribit. Quod si hæ artes humano generi nunquam innotuerint, quid nostra refert, modo nobis istis frui, Deoque omnis boni largitori pro iis gratias agere concedatur. Cur non & nos jam scimus, quod

quod Adam, Noa, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moses, David, Salomon, Daniel; aliqui naturæ luce illuminatissimi homines olim perspectissimum habuerunt? cuius scientiæ obscuræ tantum scintillæ nobis supersunt. Quis speculando assequetur, quod ante mundi finem est revelandum? Deus antiquissimus œconomus cum suis Liberis famulitioque sapienter agit non cunctas gazas simul prœmit, nobis turpiter decoquendas, sed per partes, prout sibi honorificum & nobis proficuum fuerit. Fortassis alterum Noæ tempus pro foribus est, quo arcam condi jubebat Dominus, ad præservationem paucorum ipsum timentium. Quis scire potest, quæ post aliquot paucos annos mundi facies sit futura? Bene ergo bonæ viduæ in Sarepta, si in tanta rerum angustia Elias vel allus quidam adveniens, cado lecythoque semper repleto ipsam sustentet. Cui rei parvulus bonorum grex in mundo similior est, quam spretæ, ab omnibus derelictæ abjectæque viduæ? Num DEI potentiam credis imminutam, quo minus suos cuni Lothro ex Sodomis educere ac trans montem in oppidum, ubi ab igne & cala-

mitate sint imminunes , deducere valeat ? Si quem D E u s in summis angustiis servatum cupid , media quibus id fiat , ipse præbet , nec opus est , ut ipsi Angeli cum cum Lothro eripiant . Superbus vero mundus tam securus est apud sc̄e , ut nullis mediis sibi opus esse arbitretur , sed D E U M perpetuo dormiturum , nec unquam evigilaturum stulte credat , ad puniendum malum . Qui rustico paulo major est , dedecori sibi habet , si liberi sui artes doceantur , sat opum se ipsis relinquere putans , unde honeste viitent , tempore vero , quo (quod D E U S clementer avertat) magnis æque ac parvis fugiendum , omniaque sua sunt relinquenda , tunc demum , quas quisque opes possideat , apparet , & quam inops temporis momento fieri possit : tunc se multi pauperum loco esse cupiunt : sed sapientia (pescatore isto) sera , stultitia est : unicus ducatus , quem tibi nemo extorquere valeat , melior est mille aureis vel argenteis . In proximi gratiam nonnulla secreta protuli , *bonum vade mecum* , sive *omni-habile* multis futura , quod vero singulis hederas non appenderint , ratione non caret , nec opus est plura de eis deblaterare .

Cui

Cui Epistolæ atque Euangelia non arrident, nec eorundem Expositiones curabit. Si tumore inflatus magnam tempestatem ingruere videt, nec sibi de refugio prospicit, ei si pereat, condolendum non est.

Supereft multiplex hujus subjecti usus in Medicina, qui si rite describendus effet, ingens volumen conficeret, huc non pertinens, alibi peculiari tractatu commodius fiet. Consultum foret hoc Subjectum ingenuis chymicis ac pharmacopœis notius & usitatius esse, & tot emortuas herbas, aquasque venales habere non operteret. Quid quæso proderit, si toto sanguine ac corpore intolerabili æstu inflammato, (ut in peste aliisque contagiosis febribus accidit,) caput humectato orbe rosaceo contegas, tempora pulsusque manuum & pedum aqua confortante, morbi pellendi gratia obliges? nil omnino: quin potius malum, experientiâ teste, sœpe fit deterius. Mihi perinde videtur, ac si vaporario nimirum calente, ancilla linteum frigida tintum fornaci obduceret, calorem temperatura, merito rideretur, quin potius, lignis incendio subtractis fornax sponte frigescet. Simili ratione malignus calidorum

morborum ignis 4. ad summum granis bonæ medicinæ ex intimis cordis penetrabilibus paucarum horarum intervallo extrahitur, ubi externis refrigerantum vel roborantium epithematis nullus locus relinquitur: quod non uno, sed multis experimentis observavi, veneno ex corde excluso, corpori suum temperamentum, viresque cum sanitate sensim rediisse.

Cui usui tot unguenta, olea, emplastra, cum parrâ bonæ medicinæ quantitate plus efficiatur? Integer annus sæpe exiguo ulceri vel vulneri indies in pejus ruenti, impenditur, quia equi posterioribus, ut vulgo ajunt, frenum applicatur, morbi que origini non rite occurritur.

Externorum ulcerum fontes intus sunt siccandi, non foris emplastris imprudenter obstruendi, quæ alias absque omni externo remedio parvo medicinæ pondere, paucarum hebdomadum intersticio radicitus curantur.

Talis enim Medicina querenda, ac reliquæ, apinæ removendæ erant: sed quid agas, cum mundus velit decipi, nec aliud cupiat? Si cui enim medico sit bonum medicamentum, quod ægra ingratorum

cya-

cyathorum loco propinare malit, hoc nec æstimatur nec remuneratur, nam si fostrum postulet, respondebitur, eum vix bis tervè aliquot grana pulveris exhibuisse, qui tam carus esse non possit: hinc iste certum pro incerto eligens, juxta visitationum numerum præmium postulat, plenos cantharos præscribit, ut longior sit bibendi mora, ipsoque ægrum frequentius inspiciente, accessuum numerus augescat.

Idem in Chyrurgia obtinet, si probus Chyrurgus malum externum bonæ medicinæ adminiculo celeriter curat, debitam mercedem non afferet, sed audiet, tantum pro 2. 3. ve emplastris non petendum esse. Pro acceleratæ ergo curæ mercede ingratitudinem metit, ut multo melius edoctum, aliis similem esse oporteat, malum quod triduo potuisset absolvere, mensem & diutius fovendo.

Hanc similesque ob causas, vix pauci bonis medicamentis incumbunt, sed veteri more moræ student, si non ægri, ad minimum suo commoda: quod si æger promptus sit ad persolvendum fostrum, ille autem vel ignorantia, vel spontanea incuria rem negliget, gravem ra-

tionem suo tempore est redditurus.

De hisce inveteratis, veram medicinam fugantibus malis multa dicenda essent, quibus si bona medicamina substituerentur, decumbentium tanta turba non daretur. Bonus Medicus, qui secundum conscientiam agit, omni laude dignissimus est, si medicinam ad Dei laudem, proximique commodum facit, dignamque cum Samaritano mercedem à cœlesti medico olim accipiet; sed si seipsum tantum querit, viderit, quid tunc sit dicturus. Sanguinem innocui effundere, Scripturæ testimonio, abominatio est apud Deum; si vero medicus vitam suæ vitæ concreditam negligat, utra abominatio erit major? Quam rationem avarus dabit, qui inopem suis bonis in hoc ipsum divinitus concessis cibando ac vestiendo non juvat, eandem reddet negligens medicus, si membrum Christi perire sinit quod servare potuerat.

Si virgo hunc tantum in finem viro nubat, ut fastui luxuique studens vitam cum certa mariti morte in otio transfigat, quæ tamen ei auxilio data est, ut eum colat, curatque, in omnibus fidem servans, mundum

dum sobole augeat, nonne talis coram Deo ac hominibus enormiter peccat? Idem medicus facit, si medicinæ det operam, ut cuticulam bene curet, non ut proximo misericordiæ opera præstet. Hoc tamen addendum, quod medicus interdum partibus studere cogatur, divitibus diligentius assidens quam pauperibus, quia vel nullum vel perexiguum à Magistratu stipendium percipit, honesto vieti necessarium. Si & suos carere non vult, opulentum à quo præmium exspectat præfert, paupere relieto: cui malo promptum erit remedium, si medico sufficiens vietus suppeditetur.

Præsens mundus, hq; tantum agit, qui stat, stet, qui jacet, jaceat, nulli aliud cordi est; suarum quisque rerum satagit, nec incendium ipsum non tangens, extinguere curat. Celeberrimus artium patronus Alexander M. qui perscrutandis Vegetab. Animal. & Mineralibus Philosopho suo Aristoteli annuatim plus centies mille coronatos est largitus, vivere desiit. Sapientissimus Ernestus Dux Bavariæ, Elector Coloniensis quid non in colligenda incomparabilis Germanorum Medici ac Philosophi Paracelsi scripta erogavit? Plures

res hujusmodi Mecænates Germania nostra nuper tulit, Marte vero sibi imperium afferente, Jovi cum Mercurio exulandum fuit, atque etiamnum latitandum, certumque est, si non cito extollantur, suæ dignitati restituti, id maximo patriæ detimento, summoque exterorum commodo; (quod Deus benigne prohibeat) futurum esse.

Hanc admonitionem feci, ut omnes viderent, quam in corrupto seculo vivamus, quamque vili habeantur pretio viri cordati, quod tamen malum non diu duraturum confido: sed vereor cum pastores in utramvis aurem secure dormient, quod multæ rapaces feræ ex asper- rimis prodituræ montibus oves sint disper- suræ, caseum cum butyro depasturæ, colle- ctosque greges secum prædam abducturæ,

Vidit itaque benevolus lector, quam mirabilia & incredibilia hujus subiecti beneficio prætentur, nec inficias ibo, quin pluribus mihi ignotis rebus inserviet, omni hominum ordini, superiori, inferiori, literatis, literarum expertibus, majoribus, minoribusque ad suam vocationem utilissimum. Dicat quis. Credo equidem, multa insignia ejus interventu patrari, sed quia non

non simul indicas, universalem Medicinam sive Tincturam ejus adminiculo pari, non abs re fuerit dubitare, num sit secretum priscorum Philosophorum Menstruum universale, scilicet Mercurius Hermaphroditus, tantopere ab ipsis deprædictatus, ubique reperibilis, ut res odiosa ac vilis in omni sterquilinio invenienda, naturâ frigidus ac calidus, summum venenum, cito occidens, cito sanans, apud omnes reperibilis, quem dives & pauper ex æquo possideant; quem Adam secum ex paradiſo attulerit, hujusque commatis plura antiquorū epitheta in ipsum quadrent. Huic ego responsum velim: Veteres meo Judicio alium Mercurium universalem haudquaquam habuiffe, cui omnia eorum criteria perfecte convenient & applicentur. Nonne omnes homines norunt ipsum, suam urinam, ex qua generatur intuentes? nonne est res vilissima quam domi non fermentius, sed foras mittimus, juxta Philosophorum præceptum in fimo quærendam? nonne summum est venenum, si pulvis tormentarius, (vel aqua corrosiva) ex eo paretur? nonne universalem Medicinam ex eo præparare docui? nonne merus ignis,

ignis, purum putum etiam frigus ac glacies est? & si velis, nonne virilia ac muliebria munera æqualiter obit? imperfecta corpora quadrantis horæ spacio imprægnat, ut ☽ generent? ipsum ignis calore imprægnatur, ut hos fructus proferat? an non est summe volatile ac mox fixissimum? Aqua simul humida & sicca est? summe corrosivum, corrosivorumque hostis, rite præparatum? nonne est gravissimum ac levissimum? Cui rei, excepto Nitro, hoc Philosophorum ænigma congruit? Quod enim nigrius corvo, candidius cygno, nocentius serpente, multos discrucians, levius vento, gravius auro, illud tu ames. nonne verus est liberorum suorum (Metallorum) helluo? Philosophorum Azoth, Sapo sapientum, urina puerorum, Sulfur vivum, Sal peregrinorum, Ignis secretus Philosophorum.

Nonne hæc omnia vere insunt Nitro? quâ vero methodo inibi deprehendantur, meum non est hic ostendere, satis sit indicasse in quo subiecto sint quærenda & invenienda quod ante me nemo amore tatus, præststit. Ulteriori enim demonstratione, quod scilicet ex Nitro verum Solvens

vens Universale (noli tibi Aquam Fortem imaginari) paretur, non opus est. Tunc potes contradicere, aliudve Subjectum, cui ista omnia insint, denominare? Scio, te non posse, si vel totum orbem perlustraveris. Quod non scripserim, Tincturam super imperfecta metalla cum eo parari posse, (quod ipsi veteres philosophi tribuerunt) cogites, me eo usque non profecisse, ulteriusque progrediendi tempore & occasione caruisse, neque unquam ad tam ardua aspirare decrevisse, sed vilioribus contentum esse censueuisse. Quousque vero in Nitro perscrutando penetravcrim, ex 2. furn. parte videre licet, ubi aliquot notabiles processus ex grosso subjecto præscripsi, quorum haud ultimus est ille, ubi recenseo me ante aliquot annos calcenii Solis in crucibulo voluisse fundere, & quia liquari recusabat, per intervalla fluorem ex salibus paratum addidisse, donec omnia bene fluebant, crucibulo è flammis exemplo & effuso, cum ☽ exspectabam, ejus loco plumbum invenisse, fluorem vero rubicundissimum, (licet ex candidissimis salibus confectum) & animâ auri tinctum, auro omni dignitate exuto: quod cum anim-

animadverterem, ibi secretum latere credens, labore aliquoties iteraverim, sed irrito semper conatu: cuius erroris causa non Subjectum fuerit, sed ego, qui pondera, ignisque, gradum non observaverim, vel ipse Deus noluerit ut plura indagarem. Profecto si iste labor successisset repetitus, jam dudum Lapid. Philos. possiderem, qui nunc vilioribus rebus, detentus familiam cum labore ac particulatim sustentare cogor. Sed posthabito hoc labore, vide so- des, quid exercitatissimus Phil. Paracelsus rudi nitro adscribat, cum dicit: Chymia deprehendit rem in Nitro latere. Inspiciantur Basilius Valentinus, Sendivogius, prisciique Philos. quorum omnia dicta ad hujus Subjecti operationem accommodata videbis, neque ei non nimium, sed minus aequo, (quem complura fugiunt) attribuisse. Possem sane, si animus esset, omnes Philosophorum terminos cum hoc Subjecto componere, sed cui bono ista prolixitas? qui semel eo pervenerit, quo ego, ei Philosophorum arcana satis erunt manifesta, lubenter fassuro, hoc unicum esse verum Solvens universale, nullumque praeter hoc. Multi semper rem ex nitro parandam

randam esse crediderunt, sed quia hæfitantes nihil cum eo tentarunt, nihil invenerunt. Multi meo tempore Nitrum in Tincturam figere sunt conati, verum quia illud rude, absque debita præparatione & socio suo receperunt, quale igni mandarunt, tale mansit, fortassis utilius, si ei amicabile subiectum jungere noyissent. Basilius jubet ei hilarem sociare foeminam, ex quorum amplexu regia soboles prognascetur: omnes Philosophi ajunt, Mercurio suum pondus (sed non vulgaris) Solis ac Lunæ addendum esse, & ex ambobus fieri rem indissolubilem, dum ☽ à Mercurio solvitur, eodem momento Mercurium à Sole coagulari; eadem operâ corporis solutionem & Mercurii coagulationem fieri. Certum est, unum esse ex Mineralibus, quod cum Nitro nostro conjungitur & fit, duranteque fixatione omnes colores transit; sed finem rei ignoro, qui istum laborem nunquam absolvierim, nec ob ingravescentem ætatem repetere cogitè, neque cuiquam ut incertum laborem cum certo damno experjatur, autor esse velim: qui vero hoc faciens spe sua frustrabitur non mihi culpā imputet, quod ipsi hoc scripto

ansam præbuerim, qui hoc eo tantum fise
scripsi, ut manifestum facerem, nomen
Universalis non immerto ei assignatum
esse: neque etiam opus est, ut res tanti mo-
menti ingrato mundo innotescat: quidvis
homini sufficit unde valetudinem fami-
liamque sustentet: affluentia rerum ani-
mum clatum in peccata dat præcipitem.
Sed quia Deus tantum arcanum non fru-
stra in Naturæ gremio occultavit, non æ-
gre ferendum, si quis lumen ad istud quæ-
rendum superne accipiat; nec male inter-
pretandum, si quis bono titulo ad bonum
adspiret, cum ei qui gemmam in via inven-
tam non tollit, tantum criminis impute-
tur, atque illi qui ex hæreditate acceptam
male decoquit & abligurit. Omnes Philo-
sophi uno ore clamant, suum Mercur. ob-
vilem ortum à sciolis sperni, nec pro Men-
stru Universi acceptari (monentes ne ejus
vilitate offendamur) quia multi incassum
cum eo operantur, altum sapientes, illud
pedibus conculcent, quod ipsis utile fo-
ret, quærentes quod nuspiciam invenire li-
cet, vero Subjecto semper oculis prostan-
te. Quantum cæcus pulcherrimis colori-
bus juvatur, surdusque testudinis sono, tan-
tum

tum stultus, si ei Naturæ secreta exponantur, ad quæ nec aptus natus est, nec erit. Neque velle, neque cujusquam currere aliquid prodest, sed sola Dei misericordia, dicente Paulo, cui suffragatur Psaltes cum ait Psal. 127. Frustra surgitis matte, cubitum itis sero, panem curarum edentes, quem Deus amicis in somno dat. Unde nullius industriam curamve hujusmodi cimelium acquirere posse patet, Dei donum esse, & mansurum, unanimi Philosophorum consensu, cum quibus & nos facimus. Excipiat aliquis, Sed quis tibi hunc Philosophorum esse Mercurium revelavit? Ex proprietatibus, forma ac natura, ci à Philosophis assignatis, eundem agnovi, quem tu quoque si Philosophicis oculis utaris, talem agnosces, qui sc à superbis oculere suevit, & revelare cui Deus vult. Si peritus hortulanus Germanus casu in horto, mirabile illud vegetabile *Noli me tangere*, (quod primitus ex Orientali India allatum, magna cura in multorum Magnatum paradisis admirationis ergo colitur) conspiciat, dc quo tam portentosa legisset, quod sc. in terram decideret, contactum omnem respuens, licet illam herbam nun-

quam oculis spectasset, an non certo deprehendet, eam ipsam esse herbam? Non posse aliam esse vires ei tributæ luculentè arguent. Sic cui Deus oculos aperuit, ut in Subjecto omnes proprietates deprehendat, quas Philosophi suo Mercurio universali inesse affirmant, nonne eo acquiescens aliud investigare desinet?

Postremo, Sal Nitrum unica est vegetatio, generatio & augmentatio omnium Vegetabilium, Animalium & Mineralium, corundemque destruētio & regeneratio, perpetuā Elementorum Circulatione, ut res ex quo orta in idem dissoluta redeat. Vegetabilem enim Nitrum in corporibus Animalium, intercedente digestione ac Separatione, in Sal Minerale generari nemo diffitebitur: estque Nitrum seu Sal terræ Vegetabile, Animale & Minerale, quod de nullo alio Subjecto quam Materia universali dici potest. Et quemadmodum optimus Vegetabilium, Animalium ac Mineralium conservator est, ita corundem est Mors & Destructor, coque ab iisdem & amat & odio habetur. Vegetabilia illud amant cùm in terra crescentia inde nutrimentum pertinent,

tunt, cum terra mortua, sive, salis expers semini nec nutrimentum nec incrementum præstet, attestante Christo, cum dicit: Vos estis Sal terræ: si autem terra sale sit destituta (vel sal sua falsedinc vacuum) insulsa mortua est, nulosque fructus proferre potest. Ignarus fimum terram feracem reddere ait, sed immerito, non enim fimus sed sal in fimo latens illud facit, ex vegetabilibus post putrefactionem eorum generatus, rursus in eadem transmutatur, eorum seminibus radicibusve in terra adhibitus: idem animalia in cibis appetunt, quo corpora à putredine conservata roborantur.

Nemo enim tam rudis est, qui non experientiâ didicerit Sal viventium ac mortuorum præservatorem esse. Objiciat ignarus, quod etiam alia Subjecta præservandi vi polleant, Myrrha puta, Aloë, aliquique balsamei liquores, qui carnes, piscesque à putredine custodiunt. Huic respondeo, Non Aloën, Myrrhamve, sed earum sal istud efficere. Mel quoque & Saccarum præservare, instet, quæ tamen salia non sint. R. Talem non intelligere naturam salium: ista dulcia, illa amara sunt salia, quæ per

putrefactionem conversa in acerba vel acida mutantur: omnis etiam ex vino, aliisq; Vegetabilibus, Spiritus ardens, alia corpora præservat, ille tamen, licet salis formam præ se non ferat, nihil est aliud quam purissimum Sal vini volatile cum Sulfure suo mixtum: nullum enim Principiorum sincerum est ab admitione cæterorum in totum liberum. Idem facit acetum, quod merum esse Sal', uberrime possem, si tempus ferret demonstrare. Cui sensus tam sunt obtusi, ut unam rem mediante putrefactione in aliām abire non intelligat, ei nec maxima volumina profuerint. Ex dulcissimo musto, saccaro, melle solius putrefactionis & fermentationis interventu, acidus Tartarus, forte acetum & spiritus ardens volatilis fit: mox Tartarum, acetum, Spiritus ardens in Sal nitrosum redibit; quod pauci intelligunt, ii præcipue, qui nihil nescire vulgo creduntur. Non solus homo delectatur Sale. absque quo sanguis esse nequit, sed & omnia animalia. Mures præ omnibus Sali inhiant, quo non invento, parietes Sale efflorescentes lambunt, & urinam reddunt summe nitrosam. Columbæ vetustate corruptos salisque
præ-

prægnantes muros frequentant. Gallinæ
avenacea nuper ab equis comesta, & sale
gravida grana ex fimo colligunt, ea recenti
avenæ præferentes, unde foecundiores eva-
dunt, Sale deglutitos lapillos in ventricu-
lo concoquente, primam testarum mate-
riam; sed si in corte conclusæ salsa terra
non potiuntur, debilis ventriculus arenu-
las vel silices futura ovorum putamina non
digerit, ideo ventosa pariunt ova, vel alie-
nos cortices, si dentur, devorant, ut suis
partibus suos conficiant. Mineralia inter-
ræ visceribus crescentia, (experientiâ te-
stæ) gaudent sale, ex quo sibi corpora ad-
sciscunt & incrementa faciunt : similiter
extra terram eodem matura ac meliora fieri
amant ; inter quæ Nitrum, ut dictum, sin-
gulari erga metalla sympathia est prædi-
tum. E contra tam Miner. quam Animi ac
Vegetabilia salia horrent, si illegitime con-
grediantur, vel per illud corrupta destruan-
tur. Sal enim debito more adhibitum uni-
cum esse Vegetab. Anim. ac Mineralium
conservatorem, auctorem & perfectorem,
salis liquet, quod omnes Philosophi con-
fessi sunt : quos inter Plato sali aliquid di-
vini adscripsit, cui posteri sunt adstipulati,

multa in sale, etiam ipsum Lapid. Philosophorum quærentes; sed nescii quodnam esset verum Sal, & quis applicandi præparandique modus, ulterius progredi non potuerunt. Hinc quivis facile videt, cur veteribus secreta ista ars Alchymia sit dicta, nempe, quasi tractatio & fusio quædam Salis; quam item ob causam istis verbis familiariter utuntur, *In Igne & Sale Magisterium consistit.* Innuentes, beneficio salis & ignis veram, tam ad hominum sanitatem quam metallorum perfectionem medicinam comparandam esse.

Si Deus vitam prorogans, obstacula non objicit generis humani bono *quid Sal & Ignis sint*, olim propalabo, ut incredibiles mundo adhuc incognitæ horum 2. corporum vires omnibus patefiant.

Unum addam. Philosophi materiam universalem obscure indigitantes dicere, eam ubique reperiri, quam pauper æque ac dives habeat, nec quisquam absque ea vivere possit, unde vulgus Aërem, pluviam, nivem Martialem, rorem Majalem somniantes, in iis materiam universalem quæsivere: & cum labor felicissime cessit, aliquid Salis nitroſi sunt adepti. Certum est,

Astra semine suo catholico gravidare Aërem nubesque, mox forma pluviæ, nivis, rorisve incidentes, terram fœcundatam germinationi aptam reddere, rursusque à calido aëre sursum latas nitrum suum terræ relinquere, denuo ab astris imprægnari, delabi, terræ fertilitatem conciliare, ne terra unquam hujus universalis feminis inopia laboret, sed jugiter rerum vegetatiōni incūbat; perpetuaque Elementorum circulatio conservetur. Hinc Hermes scripsit *Idem esse Superius, quod est Inferius,* nec tamen ab Astris petendum, cum majori compendio in propinquuo & ante pedes sufficienter habeatur. Verba sic sonant.

VERBA SECRETORUM HERMETIS.

" **V**erum est, & ab omni mendaciorum
 " involucro remotum, quodcunque
 " Inferius est, simile estejus quod est Supe-
 " rijs, per hoc acquiruntur & perficiuntur
 " mirabilia Operis, unius rei. Quemadmo-
 " dum etiam omnia ex uno sunt per consi-
 " derationem unitas: ita omnia ex uno hoc
 " facta sunt per conjunctionem. Pater
 " ejus Sol est, Mater Luna, Ventus in ute-
 " ro gestavit, nutrix ejus est terra, mater
 " omnis perfectionis. Potentia ejus per-
 " fecta est, si mutetur in terram. Terram
 " ab igne separato, subtile & tenue: à grof-
 " so & crasso, & quidem prudenter cum
 " modestia & sapientia. In cœlum hoc à
 " terra ascendit, & à cœlo rursus in terram
 " descendit, & potentiam ac efficaciam su-
 " periorum & inferiorum recipit. Hoc
 " modo acquires gloriam totius mundi.
 " Propulsabis quasi tenebras omnes & cæ-
 " citatem, hæc enim fortitudo est, omni alii
 " fortitudini & potentiae palmam præri-
 " piens: omnia namque subtilia & crassa
 " du-

" duraque penetrare ac subigere potest.
 " Hoc modo mundus conditus est, & hinc
 " conjunctiones ejus mirabiles, & effectus
 " mirandi , cum hæc via sit, per quam hæc
 " mira efficiantur , & propter hæc Herme-
 " tis trismegisti nomine me appellarunt,
 " cum habeam tres partes Sapientiæ &
 " Philosophiæ universi mundi. Consum-
 " matum est verbum meum quod dixi de
 " Opere Solari.

Hæc sunt verba antiquissimi Philosophi
 Hermetis , ob perfectam Naturæ cogni-
 tionem merito Philosophorum Parentis ,
 quibus satis innuit suam Aviculam sine
 alis (quæ dies noctesque volans non defe-
 tiscitur) Superiorum & Inferiorum Ele-
 mentorum , Superioris itidem & majoris ,
 nec non Inferioris & minoris mundi con-
 servatricem spiritum & vitam in Nitro de-
 litescere . Quod ut rudis plenius intelli-
 gat , perpendat modo Aërem , in quo Spi-
 ritus universalis , primum omnium rerum
 Ens , habitat , sine quo nullum animal vel
 horæ quadrantem vivit , nec ullum Veget.
 ac Minerale producitur , nec ipse etiam Sol
 lucet , nec ignis ardet : quemadmodum
 excrementa Veget. Animal. & Mineralium
 perenni

perenni circulatione in alimenta transmutantur: elementa in excrementa, & hæc in alimenta redeunt, indesinenti renovatione ac transmutatione, quam solus homo non assequitur. Novit agricola, de lapsa quotannis folia arboribus novum vigorē & nutrimentum dare, pecoris excrementa lætissimum gramen producere, Mineraliumque feces vel recrementa, à quibus Metallum semel est separatum, brevi ab Astris imprægnari, ut liquata idem metallum reddant, quo paulo ante fuerant exuta: & metallorum scoriæ passim suis fodinis redduntur, ubi spacio annuo vi attractrice à Spiritu universali refectæ imprægnantur, ut metallum altera vice fundant. Annon terra, ex qua Sal petræ est extractum, aëri exposita, aliud Sal petræ aliquot mensium intervallo reddit, quoties velis, ac si ei nihil fuisset detractum. Annon omnia calcinata, videlicet Calx viva, ex lapidibus, conchis, lignis, herbis parata, ex quibus ignis Spiritum universalem egit, ingenti appetitu novum Spiritum universalem attractum in corporeum Nitrum redigunt? Nonne calor, virtusque Solis est Solis Excrementum sive superfluum, quibus

quibus nutritur ac sustentatur? Si calor Soli nullus esset, Aëris nitrosâ essentiâ nunquam redderetur. gravidus, nec fœcunda pluvia destillaret, nec terra fructus ferret, Solique recens nutrimentum cibumque ipsius conservatorium præberet: unde consequitur, Excretum excernentis conservationem & alimentum semper esse. Sed hic jubet Plato quiescere: alibi plura, Deo volente, dicentur.

Audivimus, in Sale, & speciatim in Nitro, licet ab imperitis spreto, tam ad veram medicinam quam ad Alchymiam utiliss. ac potentissimas vires inveniri, neque operæ pretium esse, ut quis vilitate ejus offendatur; cogitandum potius, quod coram mundo ac imaginariis Philosophis despiciabile est, idem apud Deum verosque Naturæ Mystras pretiosissimum esse.

Manet ergò quod in rerum natura melius Subiectum, quo plura ac majora miracula patrentur, non dari quam Sal Nitorum: unde & ego verum Mercurium Philosophorum ex eodem parari posse constanter affirmo: me vero Lapidis Philosophorum ex eo præparationem nosse, non dixero, quod nec unquam sum aggressus: Sed
quæ

ttie suarum rerum fecissent participem, in suavi otio vicitaturum, sed nullus fuit qui fecit. Maluissem saepe in amanis pratis, aliorum more, me avium cantu recreare, quam in summo æstu & fatore furno invigilare: verum, quia alia discendi via non est, laborum me jam non pœnitet, qui D E I ope fultus, eradicatis spinis agrum conserverim, fructus suo tempore exspectans, quod cum bono Deo præstolabor, proximo, si modeste petierit, opellam meam non negaturus.

Coronidis ergo Subjungam, Si quis forte cogitet dicatve, quid me ut hæc ab omnibus Philosophis summâ curâ abfconsa Mercurii universalis signa ac criteria in lucem produxerim, impulerit, cum ingratius mundus hoc beneficio indignus sit, nec hoc unquam de meis demerebitur, sed margaritas porcorum ritu conculkaturus sit? itli responsum reddo; Me quidem hoc jam pridem damno meo didicisse, quod qui malo mundo gratificatur, suam mercedem jam accepert, nec quid amplius exspectandum habeat. Sed ideo non jubemur bonum intermittere, bonisque propter males illud celare: D E uis plus timendus quam ho-

homines, ut creditum talentum in proximi emolumenatum fenori demus, expressis verbis præcipiens.

Si omnis homo suum talentum supprimet, simul & Deus ipse & magnalia ejus oblivione sepelientur, quod fieri non debet. Tum & magna est invidorum caterva sibi ipsis nil boni voventium, nequum ut proximo consulere velint. Nihil in mundum inferentes, nihil ex mundo efferemus præter bonam conscientiam. Quicquid enim possidemus, non nostrum est, sed à Deo in id accommodatum, ut in bonos usus collocemus, bonam olim rationem reddituri. Quemadmodum turpe est, si pauper sit superbus, sic longe turpius, si dives sit avarus. Cum me ergo Deus liberalis bonorum dator, præ multis aliis, bonis artibus donarit, non in eum credo finem, ut hoc talentum defoderem, sed in proximi commodum conferrem; rationem olim non sim redditurus, si tale instrumentum esse detrectem, quale ipse me fecerit? Varie sua dona Deus dispescit, huic magnam largitur autoritatem, & potestatem, isti vires, illi opes, alii sapientiam, alii artes & sagacitatem, alium curis ac laboribus

bōribus mergit, prout cuique saluti esse novit, singulis pro donorum multitudine multam rationem reddituris. Et quia nemini constat, quando Dominus administrationis nostrae rationem sit exacturus, semper caveamus, ne ob male locata dona malam rationem reddamus. Hanc ob causam, meo talento aliud lucrifacere contendō, & à prædicto metu me liberare, reliquos vitæ dies, si Deo videbitur, absque grandi labore, cura ac turba, quibus hæc tenus sudavi, ad Dei gloriam, proximique commodum tranquille transacturus. Si Dominus voluerit, tempus & occasionem præbebit meliora edendi, sin minus Velle pro Fecisse lector accipiet: sunt sane plures magni momenti Scientiæ penes me, quibus posteris ad altiora secreta tutissimam semitam sternere possem, verum quia meam familiam citra proximi detrimentum meo sudore honeste sustentare semper studui, contra genium meum, antiquis laboribus manus applicare coactus plura edere prohibeor. Inferat quis: Si plura comperta habes, per alios istud agito, manibus ab opere suspensis, labores disposite tibi sufficiat.

F

Qui

Qui hæc dicit, perfidum mundum sibi nondum notum esse fatetur: si fidelium operarum compos fieri potuissim, meis jampridem liberaliter prospectum esset. Hodie non ita comparatum est, ut multi credunt, homines jam sunt perfidissimi, nullius promissi observantes, suum quisq;, per fas vel per nefas querit: beneficia malo pensantur, quod mihi non semel accedit: Si quem adoptavi, fidum collaboratorem futurum, contrarium evenit: quam primum aliquod secretum didicit, me ipso se doctiorem credens, varias discedendi causas finxit, si palam & cuni bona venia fieri non potuit, illud clam tentavit: vel tam petulanter se gesserunt, ut Deo gratias agerem, à talibus liberatus: unde factum ut semper oleum operamque perdiderim, proverbium illud, *Qui sua recte curata vult, ipse Dominus servusque sit oportet, verum esse sentiens.*

Vix cuiusquam verbis ac pollicitationibus fides est habenda, diabolus ex profundissima abysso egressus in mundum venit, homines pro lubitu acturus: sed perfidia domesticorum sæpe tanta non esset, si non ab aliis seducerentur; sunt enim qui occa-

occasionem captantes eos alliciunt, & quid domi viderint audiverintque clicit, unde irritati ad bonam frugem redire no, lunt, non perpendentes, hanc rem ipso furto turpiorem, nunquam in ipsorum com- modum cessuram.

Siquis ab alio, quod ipsius non est, nec penes ipsum id aliis communicare, clicit, coque in autoris præjudicium clam vel pallam utitur, celator furi æqualis habetur, neque unquam apud bonos de hoc criminе se purgabit, consultius facturus si domesticos proditores aliena offerentes repudiaret, dicens, si hoc tuo facis domino felicitatis tuæ autori, quid mihi facturus es, si licebit? Sed contrarium faciunt, dicentes, tu mihi & ego tibi tacebo, veteris veri verbii immemores, *Nullum filium tam occulte netur, quin aliquando soli exponitur.*

Idem faciunt, quibus Secreta sub silentii sigillo sunt concredita, si violata fide aliis ea communicent, rem autoris damno divulgantes. Hujusmodi dolis naundus abundat: quilibet ergo cui bonum secretum obtigit, circumspiciat, quos in familiam recipiat, & cujus sint fidei. Beatus ille, qui sua cum suis peragere potest, is

F 2 absque

absque curis in silentio & otio sibi victum comparabit.

Ante omnia detur opera, ut tibi cum istis res sit, qui Deum timent; licet in omnibus voto non respondeant, fideles tamen habebis operas, cum qui D E U M timet, etiam homines timeat, peccata vitet, & Domini benedictionem in opere suo consequetur, malorum vero labor sine fructu perit.

Quærat quis: quomodo ingenuos à falsis discernam? R. Ex operibus, non ex verbis: putris enim arbor non potest bonos fructus ferre, nec bona arbor malos: quemadmodum enim arboris indoles: ita & hominis natura ex fructibus agnoscitur. Non qui humanitatem ac diligentiam præ se fert, fidem meretur: cum vulpes caudâ blanditur, gallinas meditatur; mali sunt feles, qui foris lambentes post scalpunt. Cum facta verbis consonant, tunc fides habeatur, sed pauci tales inveniuntur, multi vero qui foris splendentes, intus fraudibus scatent. Qui igne ustus est, ignem novit, vitatque, & alios cavere jubet, inexpertus vero suo damno sapere incipit. Quicquid humile, rectum & sincere-

rum

rum est, à Deo est, & à Diabolo mundoque odio habetur. Omnis Natura sui simile amat, dissimile odit: si homo est subdolus, superbus, mendax, ferox, invidus, immisericors, tenax, diaboli gerit imaginem, nec duobus dominis servire potest, sed uno neglecto alterum amabit. Ex fructibus enim, non externa specie cognoscendi sunt. Si vinum gustes, num bonum vel vile sit, num suave vel austерum, judicabis. Pomum interdum foris pulchrum, intus vermibus exesum amarescit. Veterum est placitum, (Nemini credi posse, nisi modium Salis cum eo consumseris) experientiâ verissimum. Quæ hominum perfidia, post meam ætatem, ignis siccantem vim non diutius ferentem, præcipua causa est, quod multa bona penes me, intermortuā perireant. Confido autem brevi affuturos, qui meum Laboratorium inter se diribituri, ubi ego substiti, naturæ secreta ulterius rimabuntur, & ad optatum finem, mea præmonstrata face adjuti, perducent: quod mihi multo erit gratius, si mea immensis sumtibus, laboribus curisque inventa secreta pluribus innotescant, quam si mecum sine fœnore sint sub tumulo defodiens.

F 3 da.

da. Cui fini me promptissimum in posteritatis gratiam, & consultorem & adjutorem pro virili semper præstabo.

C O N C L U S I O.

Cordatum Lectorem, sicuti me amis
Caperte scripsisse judicabit, ne id mihi
vitio vertat, humanissime rogo; quod
enim feci, non mei sed proximi gratia bo-
no animo feci, fretus, omnes ingenuos ac
bonos mea scripta potius favore exceptu-
ros, quam odio & invidia rejecturos esse,
neque permisuros, ut humilis stylus veri-
tatis, quæ sinceritate gaudet, sit fraudi, sed
bonum animum quo hoc factum est, spe-
ctantes defendant ac tuebuntur. Quod si
diabolus, qui ferre non potest, ut homini
aliquid boni conferatur, sua instrumenta
in me armare conatur, mea scripta ex insi-
to fastu & scientiæ tumore traductura,
ipsum hic & alibi ita depinxi, ut agnosca-
tur, cujus filius ipse sit, cujusque instinctu
sese efferens firmissimæ veritati obviam
ire audeat, veterum proverbio, *Ars non ha-
bet osorem nisi ignorantem*, fidei facturus.
Ad hæc cum rogatum volo, inanibus lite-
ris